

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

IN DIE FESTO JOHANNIS EVANGELISTÆ.

Evangelium Joh. 2. l. v. 15. -- 24.

EXORDIUM.

Cum Deus Opt. Max. Mosen vocaret, ut ad Pharaonem se reciperet, & liberationem populi Israelitici sollicitaret, ille tergiversatione utens, dicebat: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Obsecro Domine, mitte, quem misurus es, Exod. 4. v. 10. 13.

Si prælectam nostram Pericopen inspiciemus, deprehendemus, idem fermè fecisse Petrum. Dicente enim ad eum Domino: Sequere me, intellige, in doctrinâ & passione, obsequitur quidem: attamen continuò quarit, quomodo cum Johanne comparatum sit, utrum ipse prosperiori in mundo fortunâ usus sit.

Hoc exemplum est humana πολυπραγμοσύνης, ubi unus & alter de aliis sollicitus est, sui ipsius verò obliviscitur, cui non immeritò objicias illud Siracidis: Quæ tibi præcepta sunt, illa cogita semper, & in pluribus operibus non eris curiosus, Eccl. 3. v. 22. Quod ipsum & Servator in Petro h. l. reprehendit.

Quod si verò quis sollicitus esse velit, de peccatis suis doleat, quomodo remissionem eorum consequatur, Psal. 38. v. 20. Hæc enim sunt abominatio in oculis Dei: hæc igitur abroganda sunt, si Deum obedienter, ut vult, sequi velimus. Discedat

ab iniquitate omnis; qui nominat nomen Christi, 2. Tim. 2. v. 19.

Nos Institutum nostrum memores contemplabimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

Sicut secunda arbor ad viam sita, à spratereuntibus, lapidibus & fustibus sæpissimè impetitur, & non modò fructu suo, sed & ramis privatur: Ita & cum Christianis res se habet, qui velut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum suum dant in tempore suo, Psal. 1. v. 3. & lucem fidei ostendunt coram hominibus, ut videant opera eorum bona, Matth. 5. v. 16. illi multa sustinere coguntur ab impio mundo, & fustibus tribulationum sæpè impetuntur, ut Christus Servator in prælecta Pericope, inter alia & Petro prædixit.

Querela respicit

I. *Crucis Petri asperitatem.* Ita enim Servator: Amen, Amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, signifi-